



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De pleno gaudio vitæ æternæ, 36

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

non sufficiat dignitati dilectionis: profecto sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima; ut tamen totum cor, tota mens, tota anima, non sufficiat plenitudini gaudii.

C A P V T X X X V I.

De pleno gaudio vita aeterna.

1. **D**Eus meus, & Dominus meus, spes mea, & gaudium cordis mei, dic animæ meæ, si hoc est gaudium, de quo nobis per Filium tuum dicitis: Petite, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Inveni namque gaudium quoddam plenum, & plusquam plenum: pleno quippe corde, plena mente, plena anima, pleno toto homine, gaudio illo adhuc supra modum supererit gaudium. Non ergo totum illud gaudium intrabit in gaudentes, sed toti gaudentes intrabunt in gaudium illud.

2. Dic Domine, dic servo tuo intus in corde meo: si hoc est gaudium, in quod intrabunt servi tui, qui intrabunt in gaudium Domini sui. Sed certe gaudium illud, quo gaudebunt electi tui, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Nondum ergo cogitavi aut dixi, Domine, quantum gaudebunt electi tui. Utique tantum gaudebunt, quantum amabunt: tantum amabunt, quantum cognoscent. Et quantum te, Domine, cognoscent, quantum te amabunt? Certe nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit in hac vita, quantum te cognoscent & amabunt in illa vita.

Q

3. Oro

3. Oro te , Deus meus , cognoscam te
amem te , ut gaudeam de te. Et si non pos-
sum in hac vita ad plenum , vel proficiam de
die in diem usque dum veniat illud ad ple-
num. Proficiat in me hic notitia tua , ut ibi
fiat plena. Crescat in me hic amor tuus , ut
ibi sit plenus ; ut hic gaudium meum sit in
spe magnum , & ibi in te plenum. Deus ve-
rax , peto ut accipiam quod promittis , ut gau-
dium meum sit plenum. Meditetur inde in-
terim mens mea ; loquatur inde lingua mea ;
amet illud cor meum ; sermocinetur os
meum. Esuriat illud anima mea : sitiatur illud
caro mea , desideret illud tota substantia mea ,
donec intrem in gaudium Domini mei :
Qui est trinus & unus Deus benedictus in
facula , Amen.

Manualis finis.



MEDI-